Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 315
Quelle:
Copyright:

giſſet, cum nullum ei antiquitate par, nullum *Origeni* tributum viderint. Quod vero neque *Ambroſiii* eſſe poſſit, erudite oſtendunt, inclinantque in eorum ſententiam, qui *Hilarium* quendam *Diaconum*, aut *Papienſem Epiſcopum Damaſo* Papae coaevum autorem faciunt. Emendator Codicis, ſi quidem, ut *Verſiculi* innuere videntur, ipſe *Carolus* M. fuerit, grande ſane pretium illi accedit. Scriptura certe, et ipſa ſepia a textu diverſa eſt, conſtatque ſaltem ex *Thegani vita Ludovici Pii* c. 7. *Carolum* laborem hunc quatuor Evangeliorum Codici impendiſſe. Librarius noſter *Winidharius* forſan is eſt, cujus obitus in *Calendario Augienſi* Sec. IX. quod habes infra *Cod.* DCCCXXXI. ad *diem II. Kal. Apr.* notatur.

CXIX. IX.H.27.

797 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 13. 8. eleganter ſcriptus et coloribus varius hunc Titulum praefert: *Libellus continens deſcriptionem et explicationem dicti Diui Pauli ad Rom. VIII.* Si Deus pro nobis, quis contra nos. *Quod dictum Imperator Maximilianus pro Axiomate ſeu Symbolo accipit: Conſcriptum per Matthæum Philomatem Daczicenum.* M. D. LXXV. Succedit Epiſtola ad eundem Auguſtum, cui praeſens Exemplar oblatum eſt, hoc initio: *Obtuli Veſtræ Sacræ Imp. Maieſtati libellum Hiſtoricum per me Heroico carmine conſcriptum, qui continebat res præcipuas Romanorum Imperatorum in præliis fortiter geſtas. Cui addita eſt declamatio de uera nobilitate, quam ego in uniuerſitate noſtra Pragenſi ante quatuor annos recitaui, cum primis in artibus honoribus inſigniri, laureaque coronari debebam. Obtuli præterea in patenti folio veſtræ Sacræ Imp. Maieſtati Aquilam Romani Imperij ſemper Auguſti bicipitem et in pectore gentilitia Inſignia Auſtriacæ domus geſtantem. Adhæc fragmenta ſtudiorum meorum ante multos annos euentilata in lucemque edita et publicata legenda dedi* &c. In reliquis laudum ſuarum haud parcus Autor finit: *Pragæ in ædibus Supremi Camerarij Regni Boemiæ die Auguſtini. Anno* 1575. Erat is *Georgius Pruſkovius* ſive *de Proſkau.* Ex his conficitur lapſum fuiſſe *Lupacium Ephem. 22. Septembr.* dum *Matthaeum* a patrio *Moraviae* Oppido *Daczicz* Provinciae *Iglav. Daczicenum* dictum jam a. 1565. vivis exemit; lapſum item videri *Balbinum Boh. Doct.* P. II. p. 248. dum eum aſſerit Caeſari *Rudolpho* fuiſſe gratiſſimum, ab eoque *Poetam laureatum* creatum; *Maximilianum* enim ſubſtituendum putem, cum *Rudolphus* anno demum 1576. imperium adierit, Noſterque *ante quatuor annos* ſe coronatum laurea dicat. Opuſculis ejus, quae enumerat *Balbinus*, et *Praefatio* mox citata, adde *Carmen de Reſurrectione Chriſti*, quod excitat Cl. *Joſ. Dobrovius* in *Corrigendis in Bob. Docta*

Bal-